

DISPUTATIO XX.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

ARTICULUS I.

Utrum Deo conveniat adoptare omnem creaturam intellectualem per gratiam?

In hoc articulo explicabimus doctrinam trium articulorum D. Thomæ, breviter tamen, quia solum est præambula ad adoptionem Christi, quæ hic principaliter intenditur.

I. Pro cujus explicatione supponenda est notitia de adoptione humana, quæ ex jure civili habetur. Diffinitio igitur adoptionis est: Adoptio est actio humana per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, et acquirit jus ad ejus hæreditatem, ex ipsius benevolentia. In illa particula transit explicatur, quod adoptatus est extraneus ab adoptante, alias non transiret in ejus potestatem. In illa particula ex benevolentia explicatur, quod fit gratis; in quo involvitur etiam, quod debeat esse ex beneplacito adoptati, et si est adultus, habeat consensum ex propria voluntate: si vero sit in potestate alterius, vel tutoris, etc. ex voluntatis illius. Hæc omnia habentur institutione de adoptionibus, et etiam ff. et c. eodem titulo, et hoc quidem admittit Concilium Francofordiense, locis inferius adducendis; eadem diffinitione utitur S. Thomas hic articulo primo.

II. Aliæ tres conditiones ponuntur de filiatione adoptiva humana. Prima, quod adoptatus non succedat ad hæreditatem, nisi per mor-

tem adoptantis. Hæc est accidentalitas, quia ex beneplacito patris bene potest filius naturalis recipere hæreditatem, per resignationem voluntariam patris, et idem erit de adoptivo. Et hoc etiam potest reperiri in adoptione Dei. Est tamen differentia, quod quando pater adhuc vivens resignat hæreditatem in filium, non retinet illam. Istæ imperfectiones non reperiuntur in adoptione Dei, nec sunt necessariae ad perfectam rationem adoptionis, sicut nec secunda conditio, scilicet, quod adoptio fit in supplementum filiorum naturalium, in solatium parentum, quia non habent filios naturales, quia etiam in jure permissum est, quod habentes filios naturales adoptent alios. Tertia denique conditio est, quod adoptatus non accipiat esse naturale ab adoptante, quæ ideo ponitur, quia in humanis esse naturale non accipitur, nisi ut filius naturalis, propter quod excluditur filiatio adoptiva. Si autem possibile esset, quod acciperet esse naturale, et non per generationem naturalem tamquam non filius, posset adoptari; sicut Eva respectu Adam ex vi modi, quod ex Adamo processit; sic respectu Dei, quamvis recipiamus esse naturale, possumus adoptari, quia ex vi modi recipiendi esse naturale, non sumus naturales filii.

III. Prima conclusio: Deo convenit adoptare aliquem in filium. Hæc est conclusio primi articuli, et ratio est ex corpore, quia ille adoptat, qui admittit ad participationem suorum honorum, per quæ ipse est dives, alium tamquam ad hæreditatem; sed Deus est dives per beatitudinem, et fruitionem sui ipsius, et sunt bona illius principaliora, et consequenter in his consistit substantia hæreditatis: sed Deus constituit, et designat aliquem ad participationem hujus beatitudinis, et fruitionis ipsius, sci-

licet Angelum, et hominem; ergo Deo convenit adoptare aliquem ad hæreditatem suam tamquam filium.

IV. Secunda conclusio: Adoptare est actio totius Trinitatis. Hæc est conclusio secundi articuli, et probatur ratione illius: Adoptatio non est per generationem naturalem, sed per actionem liberam, ut patet ex diffinitione, et ideo non constituit filium naturalem, sed liberum; hæc autem actio libera est ad extra causando gratiam in creaturis: ergo est totius Trinitatis, sicut omnes actiones ad extra.

V. Tertia conclusio: Adoptio fit per gratiam habitualement, et ponitur a D. Thoma in primo articulo in fine corporis, et probatur ibidem ex differentia inter adoptionem divinam, et humanam reperta, quia Deus adoptando facit hominem idoneum ad recipiendam hæreditatem; hæreditas ut dictum est, est beatitudo, et fruitio Dei; sed homo fit capax, vel fruendum illo; ergo per gratiam, et charitatem, quia fruitio est actus charitatis, et gratia est radix charitatis, et semen gloriæ; ergo per gratiam, et charitatem adoptatur; homo vero supponit idoneitatem in adoptando.

VI. Confirmatur et explicatur: Filius adoptivus debet esse ejusdem naturæ cum adoptante in humanis; ergo eadem proportione in divinis, ut aliquis adoptetur debet fieri particeps naturæ Dei adoptantis; sed gratia est participatio naturæ divinæ, et datur per modum naturæ in ordine supernaturali; ergo per gratiam fit adoptio. Quod expresse docuit Tridentinum sessione IX, ubi capite III refert verba Apostoli: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ*, prosequitur capite IV: « Ut fit translatio ab statu, quo homo

nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum. » Per statum gratiæ explicatur adoptio filiorum Dei.

VII. Quarta conclusio: Omnis creatura intellectualis potest adoptari in filium Dei. Probatur: Adoptio fit per gratiam, et hæreditas consistit in beatitudine, et fruitione Dei; ergo omnis creatura intellectualis, quæ est capax gratiæ, et beatitudinis, est capax adoptionis.

VIII. Ex quo sequitur primo, quod Angeli sunt filii adoptivi Dei. Sic S. Thomas hic articulo III ad secundum etiam primi parentes in statu innocentiae. Præterea prædestinatus existens in peccato mortali non est filius, quia deficit forma, scilicet gratia; et hoc diffinitum est in Concilio Constantiensi, ubi diffinitur sessione VIII et XV, contra Joannem Hus: « Præscitos posse aliquando esse justos, et viva membra Ecclesiæ, prædestinatos vero posse aliquando in peccato mortali, et pro nunc non esse filios Dei, » ubi diffinitur prædestinatos existentes in mortali non esse filios Dei; reprobos vero existentes in gratia esse filios Dei a contrario sensu propter eandem rationem. Prædestinatio vero, et reprobatio nihil ponunt in homine, et sic esse filium, vel non filium formaliter regulandum est per gratiam.

IX. Patres legis scriptæ existentes in gratia fuerunt filii adoptivi. Hæc est de fide ad Romanos IX: *Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio filiorum*: et Matth. XV: *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus*: et Matth. VIII: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*, loquendo Judæis: Exodi I: *Filius meus primogenitus Israel*: Isaïæ II: *Filios enutrivit, et exaltavit*, et plura alia.

